



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola LIV. Dilecto amico Magenharo comiti Humilis Levita Albinvs
salutem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

possibile sit fragilitati, intensissimè efficiens, vt te in prosperis regere, & in aduersis protegere dignetur.

Plura tibi, vir venerande, de christiana pietatis oblatione fortè scripsissem, si tibi doctor egregius, & celestis vitæ præceptor PAVLINVS meus prætor non esset de cuius corde emanat fons viuientis aquæ, & in vitam salutis æternam. Illum habeas tibi salutis æternæ conciliarem: nec alicubi tuæ conuersationis pes impingat: sed cetero itinere currens, diuina donante gratia, ad perpetuas portas vitæ peruenire mereatur. Viue, & vale feliciter in æternum.

1022. 43.

EPISTOLA LIV.

Dilecto amico Magenhario comiti

HVMILIS LEVITA ALBINVS

salutem.

AVDI vos, vir venerande, nostræ paruitatis optatè se colloquia, & vt verè fateor, vestram valde desideravi præsentiam, vt dulci colloquutione vestra prudentiæ consolarem. sed quia rerum euentu hoc fieri non valuit, visum est mihi condignum, literis implere quod verbis non potui; & in eis in vos ostendere dilectionem, & vobis vtilia per chartam suadere, vt vester profectus, minus esset fructus: vt qui in sublimi dignitate positus es in terris, per opera iustitiæ & misericordiæ celestem tibi meritis honorem.

Cogita, quod transitoria sunt hæc omnia, quæ in hoc seculo habemus. Et quia necessarium est vnicuique hominum veniam sibi per temporalia benefacta promerere & gloriam. Quapropter vt ad perpetuam peruenias, Deo donante

donante, beatitudinem; nulla seculi delectatio, nulla carnalis concupiscentia impediatur: sed esto in iudiciis iustus; in operibus misericordiae pius; viduis, & orphanis quasi pater: defendas eos ab omni violentia.

Esto quoque Ecclesiae Christi, quasi frater, ut per orationes seruorum DEI, inter pericula hostium, fluminum, virarum, infirmitatum, diuina te protegat dextera, regat, atque conseruet semper, ubique. Fac, ut quotidie pauperes de pane tuo comedant. quia miserorum consolatio, tibi erit aeterna remuneratio.

Esto quoque in consiliis prouidus, sapiens in cogitationibus, modestus in sermone; Dominum semper habens praesentem: quatenus illius loquens veritatem, eius dignus efficiaris protectione. Corpus tuum in castitate, & animum in sobrietate conserua. Fidelis esto ad dominos, quos dedit tibi DEVS; ad amicos benignus; ad omnes homines aequus; & miseris largus. Debitoribus, vel in te peccantibus culpas ignosce, ut tibi ignoscat DEVS, si quid contra eius fecisti voluntatem.

Tuis quoque diligenter praecipere subiectis, ut iusti sint in iudiciis, misericordes in miseros, DEVM timentes, Ecclesiamque Christi honorantes; ut illorum bonitas tibi in mercedem computetur. saepe subiectorum peccata rectoribus implicantur, si minus diligenter eos admonent Praelati, quomodo facere debent: sicut eorum bona dominis profunt ad praemia, qui eos studiosè erudiunt, DEVM time-
re, eiusque obedire praecipis.

Obsecro, ne me praesumptuosum arbitreris, haec tibi scribentem. Caritas Christi, & vestrae salutis amor, & vestrae bonitatis fiducia, haec monuit scribere; optans, vos & praesentem habere prosperitatem, & futuram promereri beatitudinem. Diuina vos gratia in omni bonitate florere faciat, vir dilectissime.

EPI-

CCCC
SII
umy am,
SIV
24